

IIVXXXI  
asleclæ paruitas contemni. Feretisq; & me quasi unum ex infima plebe  
acclamare uobis laudum uestrarum præconia, quales etiam max. reges  
non uideo contempisse, ac affectasse potius. Credo ut nunc uos ad  
hanc rem excitati diuinitus, quemadmodum de Ptolemæis in primisq;  
Philadelpho accepimus, nam illorum regnum & potentia omnium do-  
ctorum & sapientum in Græcia hominum per fugium fuit, tum cum  
illi bellorum tempestatibus disiecti dissipatiq; essent. Et ut ad propria  
ueniam, consecuta similem laudem paulo ante est Florentinorum ciui-  
tas, cui quicumq; posthac quoq; casus excepturi sint, illud uel unicum fa-  
ctum amplitudinem famæ & nominis conseruabit. Vobis igitur Deus  
profecto enim Deus auo, patri, filio, hanc mentē dedit, ut laborantibus  
artibus succurrere, & illarum cultores quasi colligere uelletis. Quæ enim  
schola nunc in Germania barbarie profligata non simul corruit: aut  
quæ inuenit, qui post illam planè Cardineam uictoriam fessis & affli-  
ctis opem auxiliumq; ferret? Præter uos inquam solos paci etiam na-  
tos & illius alumnis literis. Sed quàm sint à me minora & humiliora  
omnia, quàm quibus tua, illustris, Princeps, uirtus & claritas ornari au-  
geriq; possit, & ipse agnosco, & tamen nō possum facere, ut dixi, quin  
prædicem pro uiribus meis, quæ in te & admiror & magnifacio, sal-  
tem ut declaretur promptitudo hac in parte uoluntatis meæ. Etsi occa-  
sionem non sum paruam neq; nihili rei secutus, quæ si ipsa spectetur,  
non indigna te celebratio iudicari possit. Nam cum doctis. uir, & ue-  
stræ domui caris, Georgius Spalatinus mecum nuper egisset, ut tibi  
fabricarer stelliferos aliquot globos, illa inquam cœli Exempla, cuius-  
modi & ante sæpe fecissem; Adductus existimatione omnium, & mea  
quoq; opinione de te, statui melius aliquid & absolutius tibi mittere, q̄  
ante hominum manus uoluissent. Non quòd illos ueteres, quos in gra-  
tiam quondam optimi & ornatiss. Principis Bambergensis Georgij  
Limpergij edidimus, damnem, aut horum quasi substitutione impro-  
batos uelim. Sed quòd profecto omnia recentia perfectà magis &  
emendata esse consueuerint, quemadmodū & græcum prouerbiū te  
statuer, Secundas semper meliores esse cogitationes. Quòd si quis non  
meum uel ingenium uel artificium spectarit, de quo æquum est me leti-  
tate & loqui modestis. sed rem quā tractauimus, inuenietur profecto  
non indigna materia ornamenti tui cœlestis historia Principis diuini &  
diuino planè genere orti, quā tu in hac pilula nostra leges, quod ipsum  
affirmare uere possum, magna diligentia compræhensam, Nostramq;  
tui & admirationē & uenerationem accultum bono æquoq; animo  
admittes, Quod tum futurum est, si ut cupide petisti operam nostram,  
ita libenter & gratè habueris. Tuam illustrem excellentiam bene uale-  
re opto. E Norico Nonis Iunij.

In